

dixitque: Per dominam Margretam reginam prolem habere non potui jam plurimis annis nec unquam habere possum (ut dicunt naturales)^{f)}, unde rogo discrecionem vestram, quatenus inter me et ipsam divorcium celebretis, ut talem possem ducere, que possit liberos procreare, qui post me possint regni gubernacula possidere. Episcopi de communi consilio taliter responderunt: Quos deus coniunxit, homo secundum iusticiam non poterit separare¹⁵²⁾. Unde, o rex, voluntatem vestram non possumus adimplere. Tunc regine rex noscitur dixisse: Domina, civitatem Cremms^{g)}¹⁵³⁾ illam pro vestra necessitate et illos redditus habeatis et ego me, sicut | potero, providebo. Sic inter regem et reginam divorcio celebratur, regina civitatem sibi datam accipiens et ibi quasi vidua residebat. Sed post paucos annos spiritum domino commendabat¹⁵⁴⁾. Rex vero Bohemie Comani cuiusdam filiam¹⁵⁵⁾ duxit in uxorem et ex illa filios¹⁵⁶⁾ et filias¹⁵⁷⁾ procreavit. Ille rex de uxoribus suis terras plurimas habuit, quasdam vero per expugnacionem, quasdam eciam per pecunie comparacionem. Dicebatur enim turres auro et argento plenas sibi processu temporis congregasse. Gloriabatur rex iste potens in potencia sua, quia contrarios sibi videbatur quodammodo^{h)} superasse.

fol. 183r

245, 27—34
1273

Anno domini milesimo ducentesimo septuagesimo tercio comes Rûdolphus de Habsburg in regem eligitur Romanorum. Mox civitates ipsum suscipiunt et fit pax per Theotonie terminos universos. Audientes autem nobiles, qui erant de regis Bohemie dicione, gavisii sunt multum sperantes a regis Bohemie dominio liberari. Ex tunc litteras et nuntios miserunt regi Romanorum rogantes supliciter, ut ad partes ipsorum veniat, quia terras ad imperium spectantes, quas rex Bohemie per violenciam possidet, velint suo dominio subiugare. Audiens hec Bohemie rex timuit valde et concilio congregatoⁱ⁾ principes litteratos convocavit archiepiscopos, episcopos, prepositos, abbates pariter et priores. Cum igitur ad presenciam suam pervenissent, dixit: Intelleximus nuper, quod comes Rûdolphus de Habsburg dicat se fore regem Romanorum et dicat se velle terras nostras, quas multiplici jure possidemus, in propriam trahere potestatem. Cum igitur hec sustinere non debeamus, cum jure

245, 35—44

f) *Schlussklammer fehlt in der Hs.*
g) *nachträglich in vorhandene Lücke eingefügt*

i) *Hs. congregato*
h) *Hs. quodammodo*

¹⁵²⁾ Vgl. *Matth. 19, 6*: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

¹⁵³⁾ *Krems an der Donau.*

¹⁵⁴⁾ *Margarete starb am 28. 10. 1267.*